

56.

2
12



IURIS SAXONICI
DISPUTATIO

Prima

Leips.

Ex Constitutionum Electoralium parte
prima constitutione I. & II.

IN QVA PRÆ
CIPVÆ QVÆSTIONES
DE STATVTIS EORVMQVE AV-
toritate, nec non de libellis articula-
tis quædam breuiter expli-
cantur.

1596

De quibus

D. O. M. F.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi ac Consultissimi Viri,

IA COBI SCHVLTZII

Philosophiæ & V. I. D.

Pro virili respondebit

Sigismundus à Götzen M. B. ad

Utum Calend. Decemb. hora & loco
destinato.

Anno cl^o l^o XCVI.



32.





NOBILITATE EXIMIA

Eruditione perspicua

Longo rerum usu

Virtutumq; insigniis

Ornatiss. mi Excellentiss. mi atque Consultiss. mi
Viris,

Dn. JOHANNI à Stechovu Illustriss. mi
Elect. Brand à consiliis digniss. mo & c.

Dn. DIDERICO à Quitzovu dn. in Klitzig & c.

Dn. BARTHOLOMÆO à Gotzen dn. in
Brunn & c.

Dn. FRIDERICO Bruckmanno V. I. D. & in
Illust. Elect. Brand. Cam. Consiliario vigilantiss. mo.

Dominis Tutoribus Amicis atque Fautoribus
maximoperè colendis

Hanc disputatiunculam strenua loco

Offert & dedicat

Sigismundus à Götzen
Respondens



DISPUTATIO I.
Ex parte prima Constit. 1. & 2.

THESIS I.



V M D E I V R E M V N I C I P A -
li a terrarum Saxoniae, & imprimis, constitutio-
nibus Illustrissimi Electoris Augusti disputaturi si-
mus, primum omnium videndum est, quantam hæc
in iudicandis causarum controversiis auctoritatem
habeant.

a Seu verius Iure Provinciali. Ius enim municipa-
le, Stadtrecht vulgo tantum comprehendit Iura civitatum singularum; Provinci-
ale verò certæ provincie statuta, ut hoc loco hæc constitutiones Saxonicae pertinent
ad universum Electoratum Saxonie: Potuisset quoque dici Ius statutarium,
quod nomen generale est omnibus ius legibus, quæ non obligant totum imperium,
sed certam solummodo Imperii partem, ut sunt provincie, civitates; municipia
Imperio subiecta videatur hæc de re eruditè differens Coler, in tract. de process.
execut. part. 1. cap. 3. in princ. Nos autem hoc loco malimus appellare Ius Mu-
nicipale, eò quod verbum hoc generaliter in Iure significet omne Ius quod non est
à populo (seu, quod idem hodiè est, à principe, in quem omne Ius suum populus
Romanus transtulit. l. 1. ff. de constit. principe) Romano profectum. l. 1. C. de eman-
cipat. lib. juncta l. 1. in pr. ubi, sed nunc abusive. ff. ad Municipal.

II.

Frustra enim de lege aliqua seu statuto disputaretur, nisi quan-
tum id momentum habeat ad obligandos homines cognitum ante
sit atque perspectum. Nam cum propterea statuatur leges ut
delicta coerceantur a, imperentur faciendæ, & non faciendæ
prohibeantur b. nullus earum esset usus nisi ad effectum deduci
possent c.

a l. 1. ff. de LL. in bonis amore Iusticie, in malis metu pœne. l. 1. §. 1. ff.
de Iustic. & Iure. b L. nam & Demosthenes. 2. L. legis virtus. 7. ff. de LL. Est
enim hic finis legum ut perpetua æquabilitate pax civium & tranquillitas Reip.
conservetur, quod certè fieri non posset, si ea quæ paci conveniunt, non fiant,
& contra quæ pacem turbant, committantur, huc respexisse videtur
Ulp. in l. fin. ff. de ll. ubi totum Ius ait consistere in acquirendo, conservan-
do, minuendo: In acquirendo nimirum quod nostrum est, aut nobis debetur: In
conservando quod habemus. In minuendo quod spontè in alium transferre volumus
aut Iure tenemur. Atq; hæc Icti verba non solum in rebus intelligenda esse arbi-
tratur, ut VVesenb. putabat in parat. ff. de ll. n. 6. sed etiam in iis, quæ ad personas

A 2 pertinent.

pertinent, nam & quoties persone obligantur, ad aliquid dandum vel faciendum obligantur, ut videre est in omnibus contractibus & obligationibus personalibus: emptionis, venditionis, locationis, conductionis, mandati, societatis, fideiussionis, &c. c. Coler. in prafat. tract. de process. execut. n. 2. 3. 4. & 5.

III.

In universum igitur, cum omnes principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones in territoriis suis summi Imperatoris potestatem habeant a. omnia quoque statuta quæ condunt eandem vim habebunt, apud subditos eorum quam leges & constitutiones Imperatoris in Imperio.

a Bart. in l. apud acta. 45. §. de amplianda. n. 2. ff. de re judicat. Marant. in Spec. part. 4. distinct. 5. n. 21. ubi ait ratione territorii omnes Barones habere Jurisdictionem in Baronia sua. Natta consil. 554. n. 19. vol. 3. Goden. consil. 2. n. 4. ubi in terminis loquitur de Rege Boemia, quem uti Electorem constat membrum esse Imperii, & hunc ibi dicit esse Monarcham in Regno suo & Vvesen. consil. 27. n. 28. & n. 29. vol. 1. Schneidov. Instit. de donat. §. alia. n. 31. Gail. lib. 1. de gas. publ. c. 6. n. 10. ubi multas in hanc sententiam adducit auctoritates.

IV.

Idque adeo ut etsi Iura ab iis introducuntur non exactis nitantur rationibus a, pro lege tamen observanda sint. Nam etsi quid errore statuerint, obligat tamen subditos ad parendum b.

a Naturalibus scilicet seu quæ perpetuum valorem omni tempore obtineant. §. sed naturalia. Instit. de Iure natural. Gent. & Civil. non tamen ob id arbitramur etiam civiles rationes talibus statuta posse deesse, quin imò has requirimus ut nimirum pro conditione temporum hominumque utiles sint leges civibus & universæ Reipub. neque ob id mirum videri debet rationem eam, quæ hodiè utilis visa est, alio tempore inutilem censeretur, ut bene nos monet Pontifex in c. non debet. ext. de consang. & affin. b gl. in c. un. in prin. verbo observetur si de investitura inter dominum & vasallum &c. Ceterum hoc ita intelligendum est, si in ista principum Dubitium, & civitatum ejus provincie, quod multò magis locum habet, si Magistratus municipales ut decuriones seu senatores cujusque civitatis condere statuta velint, ut eleganter & copiosè disserit Coler. in tract. de process. execut. parte 1. c. 3. num. 6. & seqq. Et hoc quoque ab illustrissimo Electore nostro in hisce constitutionibus observatum esse videmus, ut apparet ex Proemio Constit. Electoralium. §. Dietsweil den. vers. Und wir demnach solchen ihren Beschluß. ubi ostendit se hasce constitutiones in frequenti nobilitatis ceterorumque subditorum suorum consilio proposuisse, eosque omnes vota sua auctoritate Electorali subjecisse, quo loco præterea notandum est.

etc.

endum
alibus
tion is
dum est, quod Illustrissimus Elector postea §. fin. intra duorum mensium spatium
die intimationis, earum Constitutionum auctoritatem in iudicando sequendam jubet,
id quod etiam nominatim requirit Coler. d. c. 3. n. 6. & 7.

V.

Nam & populo licitum est tacito consensu introducere con-
suetudinem etiam ab omni ratione alienam a) si modo moribus
ejus consentanea sit. Ea enim laudabilis consuetudo censetur,
quæ conveniens sit moribus utentium b).

a Ius civile Imperii quemadmodum & Ius Canonum ut consuetudo ob-
tineat, requirit eam esse rationabilem. Ita ut tantum non à divino vel naturali iure
abhorreat eive contraria sit. l. 2. C. qua sit longa consu. c. mala autem. & c. seq. dist.
8. c. fin. in fi. ibi gl. in verbo legitime ext. de consu. Modest. Pist. conl. 26. n. 56. vol.
1. Gail. lib. 2. obs. 31. n. 14 Idq. eo casu indubitanter quo alia lex est scripta, qua
contrarium jubet. d. c. fin. ext. de consu. & d. l. 2. C. qua sit longa consu. nec distin-
guimus an præcesserit lex consuetudinem, an consuetudo legem: nam illo casu obvi-
nebit lex, quippe quam non potest abrogare, postea sequens consuetudo irrationa-
bilis, & de hoc loquitur l. 3. §. Divus Hadrianus. 3. ff. de sepulchro violato, ut re-
ctè interpretatur Coler. d. tract. de process. execut. part. 1. c. 3. n. 761. Idem si lex
primo lata clausulam contineat derogatoriam, tum enim ne quidem rationabilis
consuetudo quicquam contra legem poterit. c. 1. ext. de constit. in 6. Bart. in d. §.
Divus. ff. de sepulchro violato. Coler. d. cap. 3. n. 164. Quod si consuetudinem irra-
tionabilem sequatur lex contraria, non dubium est eam abrogari. l. non est novum.
26. ff. de legib. licet de ea aperte lex non testetur. arg. d. c. 1. de constit. in 6. Porro si
nulla extet lex scripta ea de re, de qua viget consuetudo, tum contra rectè dicemus
consuetudinem valere præsertim si rationabilis sit cap. fin. in fi. ext. de consu. etiam
si alia sit lex, quæ cum non directo de causis consuetudine comprehensis tractet
propter similitudinem tamen ad eas extendi queat, ut sunt ll. civiles, quæ de liberis,
de limitaneis & similibus loquantur, nec inconvenienter ad vasallos produci inter-
pretatione possent. Mynsing. cent. 4. obs. 91. nihilominus n. hisce adhuc prævalet
consuetudo feudalis. c. un. §. in iudicio. de feud. cogni. qui mihi verus ejus loci sensus
esse videtur, & hæc de consuetudine Imperii: Caterum extra Imperium video etiam
observari consuetudinem hujuscemodi ratione carentem, qualis erat apud Indos
consuetudo trucidandorum senum, quam ut vehementer laboraverit Alexander
Magnus abrogare non potuit: Sic in Livonia finib. consuetudinem verberandi ru-
sticos etiam ob levissimam culpam tollere volenti Stephano Poloniae Regi laudatissi-
mo, ipsi rustici quorum de commodo agebatur, pertinaciter restiterunt. Vnam
utilitatem talis injustæ consuetudinis etiam in Imperio ponit. Tas. in l. un. n. 25. ff. si
quis l. 1. d. c. non obtemp. quod sc. talis consuetudinis vigore peccans ejus patrocinio

à poena excusetur. b Gail. lib. 1. obs. 36. n. 15. idq; propterea, quia cum moribus
introducatur consuetudo, utiq; non poterit introduci si ab utentium moribus ab-
horreat.

VI.

Quanto magis ea Iura, quæ ab aliquo Imperii Principe merum
mixtumq; Imperium habente, condita sunt, vim legis generalis in
territoriis ejus obtinebunt.

c. 2. ext. de major. & obed. c. ut animarum. ext. de constit. in 6. l. non ambi-
gitur. 9. ff. de l. l. 2. C. de offic. præfect. prætoriorum orient. Illyr. & Gall.

VII.

Idque longo maxime in Illustrissimo Electore Saxonie obti-
nebit, de quo ut de cæteris omnib. Electorib. cautum est, ne ejus
subditi extra territorium ejus in Ius vocentur, neque coram ullo ex-
traneo Iudice litigare cogantur.

Sive id fiat per simplicem querelam sive per viam appellationis, adeo ut si
quid tale fiat ipso Iure nullum sit. Aurea Bulla Caroli IV. cap. de immunitate prin-
cipum Electorum. tit. II.

VIII.

Quod ita intelligendum est, si modo Iusticia non denegetur,
nam tunc hoc privilegio non obstant Imperator, seu Imperialis Ca-
mera adiri potest.

Nam hoc ipso quod Iusticia apud inferiorem Iudicem denegatur, Camera Ius
iudicis fundatur. Ord. Cam. part. 2. tit. 1. §. fin. Et hunc casum quoq; excipit au-
rea Bulla. ibi: quamdiu in Archiepiscoporum & c. quod consentit cum Iure
communi, quo semper quando Iusticia apud inferiorem Iudicem denegatur, supe-
rior adiri potest. tex in Novell. 17. de manda. princ. §. sit tibi quoq; 3. versic. scito
namq; & in c. ex transmissa. 6. & c. licet ex suscepto 10. ext. de for. compet. Gail.
lib. 1. obs. 1. n. 21. & obs. 28. n. 1. ubi multa allegat. Quæ autem requirantur ad
hoc, ut cum fructu ex causa denegate Iusticie adiri Camera Imperialis possit, tra-
ditur in ord. Cam. part. 2. tit. 26. Et prolixè explicatur à Gail. d. obs.
28.

IX.

Vt igitur hæc statuta & constitutiones Sax. omnes Electoris
subditos obligant: ita e contra ad extraneos, qui que sub alio Ma-
gistratu vivunt, nihil pertinent a, nisi eas usu diuturno intro-
dixerint, & tacito consensu approbarint b.

a d. c. ut animarum. ext. de constit. in 6. Gail. lib. 1. obs. 124. num. 4.

Coler.

Coler. d. part. 1. cap. 9. n. 174. & n. seq. & part. 2. cap. 3. num. 21. b. l. de
quibus. 32. ff. de u. l. diuturna. 33. ff. eodem. Aut etiam nisi in eo loco contra-
hant, vel delinquant. Nam ratione contractus vel delicti iuribus alieni territorii
homines extranei forensesq; adstringuntur. Gail. 2. obs. 36. n. 14. Coler. d. par.
1. c. 3. num. 167. & seqq. Aut nisi sese obligent, ut ibi solvant. l. contraxisse.
ff. de oblig. & act. l. heres absens. 19. in pr. ff. de iud. l. 3. ff. de bon. auct. iud.
possid. Aut deniq; nisi bona in illo territorio habeant, nam tunc ratione illo-
rum bonorum statuta alieni territorii sequi coguntur. d. l. heres absens. §. pro-
inde. & §. seq. fac. quod tradit Gail. lib. 1. obs. 56. num. 4. & lib. 2. obs. 124. nu.
16. l. sed etsi susceperit. §. 2. §. si ea res. 3. ff. de iud. l. fin. c. ubi in rem actio. Ex-
cipitur fiscus seu procurator Caesaris, qui ratione rei non obligatur statutis loci, in
quo res sita, Gail. lib. 1. obs. 20. n. 2.

X.

His ita generaliter cognitis, nunc de processu primum Iu-
ris Sax. paucis videamus. Nihil enim prodest, etsi omnia ea,
quæ ad obtinendam causam requirantur, parata habeamus, nisi
& modum producendi hæc & in Iudicio proponendi tenea-
mus.

XI.

Et licet quidem in Camera Imperiali aliisque Iudiciis, quæ
Iure utuntur cæsareo omnia scripto agenda sunt.

Ord. Cam. part. 1. tit. 23. §. Item sollen die Procuratores, & part. 3.
tit. 12. §. Zum andern. & tit. 40. in pr.

XII.

Tamen Iure Sax: distinctio est: nam ibi ante litem contesta-
tam exceptiones omnes, tam dilatoriarum, quam declinatoriarum cauti-
onis etiam & Guarendæ petitio, & quæ alia litem contestationem
antegrediuntur viva perorantis voce proponi & dictari debent,
tribus utrinque permutatis dictandi vicibus a, post litem con-
testationem verò, etsi tum etiam viva quandoque voce proce-
dendum sit b, tamen ad id non semper allegati sunt litigantes,
præsertim in probationum ac testimoniorum disputatione c.

a part. 1. constit. 1. & constit. 3. b part. 1. constit. 9. c d.
part. 1. constit. 18. facit l. 1. C. quomodo & quando Iudex.

XIII.

Quæ omnia tam in civilibus quam criminalibus causis locum
habent.

Iul. Clar.

*Jul. Clar. lib. 5. sentent. §. final. quest. 12 n. 7. & quest. 18. in pr. text. h. le
in Constit. 1. qua generaliter loquitur, nec distinguit. Ideoq, nec nos distingue-
mus. l. de pretio. ff. de publ. in rem act. & l. 1. §. generaliter. ff. de legat. pra-
hand.*

XIV.

Viso procedendi modo ad libellum pergemus, qui funda-
mentum est totius Iudicii, & ad quem omnia Iudicii acta referun-
tur.

*Modest. Pistor. consil. 21. n. 4. vol. 2. quamobrem etiam à quibusdam
de substantia processus dicitur. Panorm. in c. 1. n. 3. 4. 10. 11. & 12. ext. de libell.
oblat. Socin. in c. 3. n. 1. extra eodem. Hostiens. in summa de libell. oblat. n. 2. Vant.
de nullit. senten. ex defect. process. n. 18. Gail. lib. 1. obs. 76. n. 4. fac. text. in d. c. 1.
ibi; Oportet, ext. de libel. oblat.*

XV.

Vbi primum occurrit anceps illa & variè hodie agitata quæ-
stio An nomen actionis in libello exprimi necesse sit, quod seu
Ius civile *a*, seu Canonicum *b*, seu hodiernum Iudiciorum
morem *c* respicias negamus, utcunque refragetur Donellus *d*,
& Duarenus *e*.

a l. 8. in pr. ibi gl. super verbo proinde. ff. de edend. Panorm. in c. delicti
n. 15. ext. de judic. ubi ait hanc esse communem opinionem omnium legistarum. l.
si quis vult. C. de interdicitis. cum similibus ubiq, dicitur, actionem edi debere, sed
nusquam requiruntur, ut nomen edatur, quod si ergo per equipollentia explicari po-
test, id quod petit actor satisfactum est edicto de edend. quoties enim lex aliquid
fieri jubet, si non exprimat certam verborum solennitatem sufficit expediri per
equipollens text. singularis in cap. humana aures. 22. quest. 5. & in c. in us. 15.
extra. de verb. significat. *b* d. c. dilecti, ext. de iudiciis. ubi Panorm. *c* gl.
in Novell. 53. de exhibend. reus. c. 3. §. sancimus. super verbo offerri. Gail. lib. 1. obs.
61. n. 1. *d* Donellus in l. edita. n. 10. & 11. C. de edend. *e* Duar. ad tit.
C. si certum pet. cap. 6.

XVI.

Porro cum libellus vulgo in summarium & articulatum di-
vidatur, dubitare quoque poterat an articulatus ubique & sine di-
scrimine admittatur. Sanè Iure quidem Civili etsi summarius non
rejiatur *a*, tamen is qui articulos producere in animo habet,
tenetur statim in primo termino eos libello inferere sub pœna præ-
clusionis articulandi *b*.

a Ord. Cam. part. 3. tit. 12. vers. Zum andern. & Constit. Imperial. An-
no 70.

ns 70. vers. Da aber keine articulirte Klage. &c. b d. Constit. Imper. Anno
70. ver. Wie wol auch. Gail. lib. 1. pbs. 79. n. 3.

XVII.

Secus est de jure Sax. ubi omnis libellus articulatus rejicitur
tam in civilibus quam criminalibus.

part. 1. constit. 2. quæ generaliter loquitur, & ita quoq; in omnibus Iudic
suis fori Sax. observatur.

XVIII.

Quod rationem habet: cum enim articuli eò inventi sint ut a-
ctor per eos confessione rei ab onere probandi releveretur a, re-
um tamen magis probatione actoris, quam sua confessione conde-
mnari æquum est b. Imò non probante actore reus planè est ab-
solvendus c.

a Gail. lib. 1. obs. 79. n. 2. ubi plures allegat auctoritates. b l. 1. §.
1. ff. de interrogat. act. c l. qui accusare 4. C. de edend. Exceptiones hujus
regule tradit gl. in c. 1. super verbo actore non probante. ext. ut Ecclesiast. benefi.
sine diminut.

XIX.

Sed jam quæritur, quomodo libellus articulatus rejiciatur,
an non nisi ad partis instantiam, an verò ea tacente etiam officio
Iudicis? & quoniam curare Magistratus debet ut lites dirimantur,
a melius est officio Iudicis, id fieri quam partis exceptionem ex-
pectari b, præsertim cum talis libellus sit contra fori Sax. con-
suetudinem, quæ semper in iis, quæ ad lites ordinationem perti-
nent, legi anteponitur c.

a l. quidam existimant. ff. de rebus creditis. c. finem litibus. & c. §.
ext. de dolo & contumac. c. constitutis. 2. ext. de procur. l. properandum. in pr.
c. de lud. l. litibus. 20. C. de agric. & censit. b d. part. 1. constit. 2. c Bart.
in l. 1. §. fin. ff. de testibus.

XX.

In camera tamen Imperiali si libellus ineptus sit ratione
formæ non rejicitur, sed parti imponitur citra absolutionem
libellum melius formare a: quod si ratione deficientis alicui
jus qualitatis requisitæ ad fundandam Jurisdictionem Camera in-
eptus sit etiam, non instante parte rejicitur, aut actor in expensas
condemnatur. b.

B a Nos



COROLLARIA.

I.

A *N*ad legis substantiam scriptura requiratur?

Negamus ex l. 10. 32. 33. 35. ff. de ll.

II.

*An populus Romanus semper sub legibus sine
ullo iure egerit?*

Negativa verior videtur ex l. 2. in princ. ff. de origine Juris licet
ibidem Cujac. contrarium tueatur.

III.

*An aequitatis an stricti Juris potior habenda ratio
sit?*

Pro aequitate respondebimus ex l. placuit. C. de judiciis. c. 1.
circa fin. ext. de dolo & contumacia. Vide Myns. cent. 6. obs. 63. Do-
nellum lib. 1. comment. Jur. civil. c. 13. Jacob. Revard. in l. in omnib.
90. ff. de reg. jur. Thom. decis. 16. n. 17.

IV.

An Princeps legibus solutus sit?

Affirmamus ex l. princeps. 31. ff. de ll. eamque interpretamur
secundum l. ex imperfecto. c. de testament. & l. ex imperfecto. 23. ff.
de ll. 3. & l. digna vox. c. de ll. & c.

F I N I S.

Leipzig, Diss., 1593/1619

ULB Halle


3


004 954 793



V. 17







B.I.G.

Farbkarte #13



CONICI
ATIO

Leipsa
ectoralium parte
e I. & II.

PRÆ
STIONES
RVMQVE AV.
libellis articula-
iter expli-

ibus 1596

M. F.
SIDIO
sultissimi Viri,
HULTZII
V. I. D.
ondebit

zen M. B. ad
nb. hora & loco
co.
XCVI.



2
12

12

9

